



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **DINDIGULENSIS*** IN INDIA NOVA CONDITUR DIOECESIS DINDIGULENSIS. Petium est nuper ut in India, quibusdam distractis locis a dioecesi Tiruchirapolitana atque a metropolitana sede Madhuraisi, nova constitueretur dioecesis ad aptius provehendam aeternam salutem Christifidelium ibidem degentium eorumque regimini efficacius consulendum. Qua re, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque pariter faventi voto Venerabilis Fratris Petri López Quintana, Archiepiscopi titulo Acropolitani atque in praedicta Natione Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere supremi Pastoris totius gregis Dominici, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec decernimus. A dioecesi Tiruchirapolitana separamus territoria. patrio sermone «taluk» nuncupata, civilis districtus «Dindigul» quae sunt «Dindigul Vendasandur, Oddanchatram, Palani ac Natham»; a metropolitana sede Madhuraisi seiungimus territorium sex paroeciarum in eodem civili districtu exstantium, videlicet «Natham, Kamalapuram, Sinnalapatty, Athur, Karisalpatty, Vannampatty»; ex iisque novam dioecesim *Dindigulensem* condimus, quam metropolitanae Ecclesiae Madhuraisi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea iubemus episcopalem sedem poni in civitate *Dindigul* atque templum ibidem situm, Deo in honorem Sancti Ioseph Opificis dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges temperentur. Quae praescripsimus perducet ad exitum memoratus Venerabilis Frater Petrus López Quintana, qui, re acta, cum bit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tricesimo mensis Octobris, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO	CRESCENTIUS card. SEPE
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Laurentius Civili, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n. 2, pp. 84-85 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana